aluit? quis in lingua ſcelerũ Iliadem tanquã
in nuce incluſam non exhorreſcat? ego certe
admiror, et quod admiror oratione hac, etsi
Demosthenis lucernam non oleat, hac inquam
oratione, quæ in lingua execratione digna
videantur, dum breviter expono, obſecro
obtestorq; vos ut attentos mihi et benignas,
ut ſoletis aures exhibeatis.

Variorum malorum lubrica incauta linguæ gar=
rulitas cauſa atq; origo extitit, poenituit enim
ſæpe verba protuliſſe, quæ ſatius dentium
ſeptis incluſa dilata fuiſſent, ſerò tamen
poenituit quod revocare nefas, volat enim
irrevocabile verbum, quod non pauci ſuis
experti damnis aut ſaltem diu multumque
luxerunt, quæ cauſa quod Tantalus in
media fluminis aqua stans, aridâ prematur
ſiti? lingua, quæ cauſa quod Demosthenes